

84

fatear, trium milliarium intervallum, quo ab Isauro Macerata disjungitur, vix tanti esse videtur, ut eidem oppido Pitini Pisaren-  
sis nomen detrahendum omnino sit; ac ego quidem cum Holstenio  
saltem existimarem, antiquum hoc Municipium in levâ Isauri ripâ  
suum olim fuisse e regione Maceratae, quae fortasse ex illius rui-  
nis aedificata fuit, ac inde a macetiis Macerata appellata.

HVIC ANNO  $\overline{Q\overline{Q}NAT}$ . Gruterus & Fabrettus ediderunt ANNO  
 $\overline{QVINQVENAL}$ , integrum verbum compendio, quod in marmo-  
re visitur, substituentes; ac illa quidem nota  $\overline{Q\overline{Q}NAT}$  pro  $\overline{QVIN-}$   
 $\overline{QVENNALITATIS}$  singularis est: aliam tamen aequae singularem  
offendi in Gratianopolitanâ Inscriptione, parum accurate ab Allar-  
dio eductâ Lett. sur les Antiq. de Grenobl. p. 7.

T . C . H

SECUNDO

 $\overline{QQV}$ . IIVIR

Nota enim  $\overline{QQV}$ . exponi debet Quinquennali. Ceterum nemo,  
nisi qui sit in re antiquaria plane rudis, ignorat, Quinquennialita-  
tem Magistratum fuisse in Colonia, & Municipiis, Romanæ Censuræ  
respondentem; alicubi tamen princeps fuit Magistratus, quod vel  
ex Apuleii loco constat in lib. X. Metam. ab eruditis in hanc  
rem sæpe adducto. De Quinquennialitate uberrime disseruerunt  
Eñus Norisus Cenot. Pis. & doctissimus Philippus a Turre in  
Dissertation. de Colon. Foro-Julienâ ad calc. Monum. Vet. Ant. p.  
362. & seqq.

PETINI APRI MARITI EIVS. Gruterus habet PETINI  
PRISCI, quem Fabrettus sequitur, reprehensio per summam inju-  
riam Cluverio, qui recte ediderat PETINI APRI.

PLEBS . VRB . OB MERITA EORVM. Subaudiri hic debet  
verbum posuit, quod exprimi in antiquis Inscriptionibus nequa-  
quam solebat. Ex hoc versiculo abunde constat, agi hic de sta-  
tuâ Abenæ Balbinæ positâ, cujus basis Inscriptione, quam expli-  
camus, insignis adhuc superest. In Colonia, Municipiis, cæterif-  
que Romani Imperii Urbibus, Ordo Decurionum, interdum etiam  
Plebs, ut optime meritos cives, aliquâ grati animi testificatione  
prosequeretur, publice statuas illis decernebat, quod ex innumeris  
propemodum vetustis Inscriptionibus constat; ac in earumdem qui-  
dem statuarum basibus causam inscribebat, cur statua posita fuis-  
set.